

CAPUT PRIMUM.

An Statua B. P. Francisci Romæ in Vaticano erecta omnimode Minorem Observantem exhibeat; deque aliis Statuis.

Num. I. Cùm Statua S. Patriarchæ Francisci Anno 1726. Romæ in Vaticana Basilica reliquorum inter Ordinum Fundatores, post multorum annorum processum Pontificiâ tandem (quo ad habitum *in quo*) maturâ decisio- ne erecta, & equidem ab illo tempore nec inter mortuos libera, nonnullis adhuc post litem finitam litigare volentibus, non placeat: licet fortè nec ex alia causa displiceat, nisi, quia ibidem *in habitu Observantino stat, & stabit æternitati consecrata;* hinc iteratò provocatus ad reddendam rationem habitū, tam Observanti , quām istiusmodi statuæ (quæ unā cum Observantibus, tanquam à *Minoritici Vestimenti essentialibus* in Regula præscriptis, nescio cuius generis argumentorum, & *quasi - probationum congerie asseritur deviare*) eò convenientius à Justificatione illius statuæ (ut in ulteriori tractatu alterum ab altero adjuvetur) hic incipio, quo sinistrâ magis benevolentâ *Modestus Verinus sub mortua Statua Patrecinio Me, Meosque Observantes collocavit.* Qualiter au-

tem Omnium , qui statuam illam crebriori oculo considerarunt , primus **R. P. Hierotheus Confluentinus** in suâ *Epiome* pag. 489. prævia inspectione anatomica , suis sub restrictionibus eandem PP. Observantibus limitatè solum approbaverit , id vide in *Itinere nostro quarta die* , seu *Dialogo Continuato* pag. 158. Cùm autem exposito ipso super hoc aliquid novi inciderit , illud suo *Modesto Verino* sine invidia , intransitivè tamen , communicavit . Quia interim ad novum factum novum debet adhiberi remedium , ut dicitur *L. I. ff. de Ventr. inspect.* Propius ad illud accedamus , esto tale sit , cui , ut in nostrum , & Veritatis præjudicium fidem darem , à me ipso impetrare non possum : quia ultra fidem veri videtur excedere .

Num. 2. Rvdi P. Hierothei Genius , seu (uti seipsum , nullo præposito *Fraternitatis* indicio , inscribit) *Modestus Verinus* in recensimè edito *Discursu Polemico* pag. 194. ex *Italia* nobis refert pro novitate sequentia : „ Erant „ aliquando Viri graves , rerum Romanarum „ non inscii , qui in Generali Capitulo , quod à „ Capucinis ad annum 1726. agebatur Romæ , „ referebant , immò , quod *Benedictus XIII.* Reg- „ nans tunc Papa , statuam , de qua h̄ic sermo , „ in marmore parandam , & è regione statuæ „ S. Dominici locandam in Vaticano , Capu- „ cino primū Ordini , & utique idcirco „ detulerit , quatenus verior , & antiquior ha- bitus

„ bitus Minoritani forma, sicut in Basilicis Li-
„ beriana & Lateranensi ab antiquissimis die-
„ bus resulget, in Vaticana quoque æternita-
„ ti consecraretur. z dō, quod Vicarius Gene-
„ ralis, qui tunc Capucinorum Ministro re-
„ nuncianti successerat, ut opus hoc quibus-
„ dam aureorum millibus constituturum in-
„ audiit, cadens animo, studiosis rem moris
„ involverit; adeoque Pontifex à Capucinis
„ ad Minores Observantes se vertens, atque
„ apud hos primum mox animum, manusque
„ expeditas inveniens, Votorum suorum fue-
„ rit compos effectus, per Josephum Mariam
„ Fonseca ab Ebora, virum viribus ad id re-
„ quisitis instructum: erat quippe sacræ, &
„ universalis Inquisitionis Consultor, in sa-
„ cra Consistorii Congregatione votans, Epis-
„ coporum Examinator, & apud S. Sedem tra-
„ standis Lusitanis rebus Praefectus, adeoque
„ ad tantum opus assumendum, dirigendum,
„ ac perficiendum modis omnibus, nulloque
„ non nervo provisus. Hæc ille, cuius ser-
„ mones indigent magnis viribus.

Num. 3. Ut autem benevolus Lector genui-
nam facti speciem habeat, & ne fides Verita-
tis, qua tantorum Verborum adminicula non de-
siderat, confundatur, prout dicitur L. i. ff. de
re Judicat. Decretum ipsum circa erectionem
statuæ, per Eminentissimum Cardinalem Han-
nibalem Albani, de speciali mandato sanctissi-
mæ

mi Domini Papæ Benedicti XIII. expeditum
hic subjicio.

„ Nos infrascriptus sacrae Congregationis
 „ R. Fabricæ S. Petri Pro-Præfector de man-
 „ dato Sanctissimi Domini nostri Papæ Bene-
 „ dicti XIII. Vivæ Voci oraculo Nobis spe-
 „ cialiter factō impartimur facultatem Reve-
 „ rendissimis Patribus Ministro Generali & Ge-
 „ nerali Procuratori *totius Ordinis Minorum*
 „ *S. Francisci*, ac pro eis admodum Reveren-
 „ do Patri F. Josepho Mariæ ab Ebora ipsorum
 „ delegato, ut ex Eleemosynis piorum Bene-
 „ factorum, in partibus Hispaniarum per Re-
 „ verendissimum P. Josephum Garziam Ex-
 „ Ministrum Generalem dicti Ordinis præcol-
 „ lectis, Statuam Marmoream Seraphici Pa-
 „ triarchæ S. Francisci, sui Ordinis Fundato-
 „ ris, cum forma & figura habitus ab ipsis Pa-
 „ tribus de Observantia deferri solita, quâque
 „ universus Ordo, prout Nobis constat ex au-
 „ thenticis documentis, A SUÆ INSTITU-
 „ TIONIS PRIMORDIO USUS FUIT, in
 „ Sacro-Sancta Basilica Vaticana, intrâ locula-
 „ mentum è conspectu S. Patriarchæ Domini-
 „ ci constituere, & collocare faciat, & pos-
 „ sit. Præcipientes deinde universis & singu-
 „ lis, cujuscunque gradus & Conditionis, aut
 „ statûs existant, ne ullo prætextu, aucto-
 „ re prædictum Patrem F. Josephum Mariam
 „ ab Ebora Delegatum, ab hujusmodi nostri
 Chiro-

„ Chirographi executione impedire, aut re-
 „ tardare audeant, vel præsumant; sub pœnis
 „ nostro, & Sanctitatis sua arbitrio reservatis;
 „ imò ab eo requisiti in omnibus, & per om-
 „ nia auxilium præstent, & Juvamen. Datum
 „ Romæ ex Palatio nostro ad quatuor fontes
 „ Die 8v  Septembris 1724. Loco † Sigilli.
 „ *Hannibal Albani.*

*Ex Originali existente in Archivio Ara-Ce-
 litano Romana Curia Cismontana Familia.*

Num. 4. Nunc, ne Veritas, cujus indivi-
 sibilis est Charakter, scindatur in partes; & ut
 per Aristotelem Lib. 2. de Cælo & Mundo,
opposita juxta se posita magis elucent, superius
Affertum cum hocce Decreto non nihil confe-
 ramus. **Affertum** *Modesti Verini* habet imò Be-
 ne dictum XIII. erectionem statuæ *Capucinico*
primum Ordini detulisse. 2dò, quòd *Vicarius*
Generalis, qui tunc (scilicet Anno 1726.) *Ca-*
pucinorum Ministro renuncianti successerat, ut
opus hoc quibusdam aureorum millibus constitu-
turum inaudit (NB. Statua non ex Metallo vel
 argento, sed ex Marmore erigenda erat) *ca-*
dens animo studiis rem moris involverit. 3tio
afficitur, vel saltèm à R. P. Hierotheo appo-
 nitur, *Modestóque Verino inspiratur*, talis
Pontificiæ delationis motivum ibi: & utique
idcirco detulerit, quatenus verior, & antiquior
habitùs Minoritani forma &c. 4tò *Præviâ in-*
spectione Crumenæ, exaggeratòque F. Josephi

ab Ebora Franciscani nervo, ipse asseritur sube-
ministrâsse sumptus, ubi necio, an F. Jose-
phus ab Ebora intelligi debeat Minoritanâ suâ
professione exutus, an illius transgressor; inte-
rim ex superiori decreto agnoscitur innocens,
ob interventum Eleemosynarum non per ipsum,
sed per alium in partibus Hispaniarum jam præ-
collectarum. Et tandem s̄tò Summus Pontifex
per nervosos Observantes dicitur Votorum suo-
rum compos effectus.

Num. 5. In horum confrontationem ad ip-
sum Decretum Apostolicum paulisper animum,
& attentionem dirigamus. Datum hoc fuit bi-
ennio ante realem statuæ erectionem, videli-
cet Anno 1724. Die 8vâ Septembbris; cum Be-
nedictus XIII. Per tres solummodo menses,
& dies novem (utpote eodem Anno die 29. Maii
electus) fuisset Pontifex. Estne jam concepti-
bile intrâ trimestre, & Ministrum Generalem
Capucinorum, seu (quia talis Anno priùs 1726.
Eligebatur) Vicarium Generalem *studiosis rem*
moris involuisse, & simul Papam de impleti-
one *Votorum suorum* ob moras quasi desperan-
tem, à Capucinis, post tacitam hanc, moro-
sâque repulsam ad Minores Observantes se se-
vertisse; & sic tandem *Votorum suorum compo-*
tem esse effectum. Neque hoc solum, sed insuper
totum hoc contingere debuisset intrâ idem tri-
mestre, præcisâ illis, absolutâque *studiosis*
moris, præcisâque interponenda ex parte Be-
nedicti

nedicti XIII. Favorabilis Capucinicæ resolutio-
nis exspectatione, unde nescio in quānam mo-
dica trimestris illius parte, seu verius extremitate
collocandæ veniant piorum Eleemosyna, ut
in Decreto afferitur, *in partibus Hispaniarum*
Jam præcollecta; quæ præcollectio, si absque
indubitabili exspectatione, & securitate even-
tūs peracta fuisset, ex parte Observantium
vel insana fuisset, vel Hispanorum Benefacto-
rum certè deceptiva, & mutato Causæ eventu
restitutioni obnoxia: & quidem hoc, aut de-
bebis de Observantibus opinari, aut aliàs re-
ferenti *Modesti Verino* ad longum non credere;
nisi forte dixeris observantes Juxta Verinam Mo-
destiam de se satis nervosos, Collectionem in
Hispania pro PP. Capucinis seu pro statua in
corundem habitu erigenda instituisse, quòd si
vel ego dixero, ne mihi credas.

Num. 6. Sanè, quantocunque etiam studio
conaretur aliquis Decretum isthoc Apostolicum
cum novo *Modesti Verini* asserto, contortâ utri-
usque Veritate, combinare, non caperemus
equidem rem illam à Sanctissimo Benedicto
XIII. tam leviter fuisse tractatam, cùm ejus
Prædecessores (partium pro forma habitus cri-
genda statuæ contendentium studiis nondum
sedatis) decisionem ultrò differentes, locula-
mentum, inter alios Ordinum Fundatores, è re-
gione statuæ S. Dominici, veluti S. Patriarchæ
Francisco competens per saecula vacuum esse
volue-

voluerint. Si apud Observantes (qui eadē s
quā PP. Capucini , paupertatis lege ex simili
professione tenentur) sit invēnire manus cum
nervo paratas ; cur tales (ut & Prædecessores
Pontifices *Votorum suorum tandem compotes effe-*
cissent) non extendere prius ? an fortè Benedi-
ctus ille , non visis ullis Ordinis Minorum Do-
cumentis , Capucinico habitui statuam illam
adjudicare voluerat , nulla ejusmodi documen-
ta pro Observantibus militare erroneè existi-
mans , quæ tamen sub finem illius trimestris
subito vidi , subito tibi constare dixit , subi-
to approbavit , & non minus subito decretum
pro Observantibus expediri Jussit , cum addi-
to : *cum forma & figura habitū ab ipsis Patribus*
de Observantia deferri solita , quāque universus Or-
do , prout nobis ex authenticis documentis constat ,
& sua Institutionis primordio usus fuit ?

Num. 7. Quis nobis Pontificium hoc moti-
vum cum illo , quod Assertum illud simè trepi-
datione obtrudit , in una tandem , & indivisi-
bili veritate conjunget ? an Pontifex fortè aliud
dixit , aliud scripsit , aut scribi Jussit ? sanè , si
non dixerit , quod dixit , saltē quod scripsit ,
scripsit , ut error exeat per oculos , qui per au-
res intravit . Unde mi Frater Modeste Verine
(si tamen Fraternitatem non recuses , quam tuo
nomini in *Discursu Polemico* non præponis) non
contra me , sed contra Pontificem de cætero ,
pugnarum amans , pugnare debebis , fortè aliis
usurus

usurus Epithetis respondebis Pontifici : assu-
mésque in te , quod mihi nullâ subsistente pro-
bâ alibi adjicis : me scilicet inobseruantorem
esse erga reascripta Pontificia ; de quo alibi . Si
apud te , quod falso creditum est , veri vicem
obtineat , fortè prudentiores , hæc legentes ,
assensum non dabunt novo illi tuo asserto ; quod
simpliciter falsum appellare , præscripta mihi
modestia non permittit : in primo tamen suo
Authore illud forsitan aliter adhuc nominandum
foret , nisi illud Theocriti in favorem veniret :
*Num somniat ille , qua vigilans voluit ? ... possi-
deo quacunque solent sub nocte videri : Vim mag-
nam ovium , multasque Capellas.*

Num. 8. Si vanæ hic essem laudis cupidus ,
non segniter arriperem promotionem , quam
mihi , meisque in Itinere 4ta Diei colloquenti-
bus , sub conditione solutionis nodi , stipulatâ
quasi sponsione promittit Genius Hierotheanus ,
dum *Discursus Polemici* pag. 193. (postquam
formam habitûs observantini Pontificiam po-
tiùs , quam regularem esse præmiserat) adjun-
git sequentia : *Verum non in hoc , sed tota quæstio ,*
*omnisque difficultas consistit in isto : an S. Fran-
ciscus in aero suo Regula Capite circa Fratrum
Professorum Vestimenta disponens habitum cum
assuto , vel cum inassuto Caputio præscriperit .*
Quem difficultatis nodum si Itinerantes nosiri ,
*eorumque via Ductor , sub Patrocinio Mortua
Statua , pro sua , suorumque parte solvere , seu*

expedire potuerint, quilibet eorum reparabitur magnus Apollo. Item pag. 182. alios mihi erga documentorum in hoc puncto productionem appromittit favores.

Num. 9. Puto saltēm, tacente mortuā Statuā, atque loquente Pontificio Decreto superiū adducto, sub hujus potius, quām mortuā Statuā Patrocinio istum difficultatis nodum patere olutum, in his verbis: *quāque universus Ordo, prout nobis constat ex Authenticis documentis, à sua Institutionis primordio usus fuit;* quibus adhuc alia Capite seq. superinducam. Ast nolo magnus reputari Apollo, utpote cui non quadrant Epitheta inscitiae mihi toties modestinā liberalitate attributa. Multò minus volo ad modum Apollinis inter Musas præsidentis, Viris mei Ordinis ac Civitatis Illustribus me adjungere: monente Catone: *Nec te laudaveris, nec te culpaveris ipse.* Cui accedit illud Plinii 2dī *Quod magnificentum referente alto fuisse, ipso, qui gesserat, referente vanescit.* Atque hæc sunt per allegoriam dīcta.

Num. 10. Antequam autem in capite sequenti ad principalem Observantini habitū inquisitionem trahar, pro apprehendendo adducti superiū Num. 3. Pontificii Decreti genuino intellectu, monuerim; Primordia Institutionis Ordinis Minoritani, quantum ad ordinatam habitū uniformitatem à tempore S. Bonaventuræ hīc esse computanda; hunc enim adhuc infinitem

fante*m* vivens Franciscus in manibus habuit,
 atque is Ordinem primus ad uniformitatem
 habitūs perducit. Et quidem ad taletm intro-
 du*c*tam habitūs formam eō magis in erigend*a*
 Statu*e* Controversia debuit spectāsse Veritatis
 inquisitio, quo aliunde constat, initiales viros
 Ordinis, ipsos sibi finē artis peritia, sicque
 finē uniformitate, adaptāsse habitus, prout
S. Patriarcha legitur, inspiciente Assisiensi Epis-
 copo, ex subministrato Mercenarii cujusdam
 vili pallio, dum interim totus nudus esset, sibi
 habitum fecisse. Alibi legitur, ipsum sēpe
 semi-nudum incessisse. Atque hanc tunc tem-
 poris Minoritanorum habituum difformitatem,
 nedum, uti varia erat, sicque variè repræsen-
 tarunt Pictores, sed & ipsam Sacram Congre-
 gationem difformitatem illam perspectam ha-
 buisse colligis inde, quod in Indice Librorum
 prohibitorum, quoad Sanctos Ordinis Bona-
 venturam præcedentes, signanter quoad San-
 ctos Franciscum & Antonium Paduanum sub
 Littera I. prohibeantur: *Inscriptiones omnes*
Imaginum Ss. Francisci, & Antonii Paduani,
*in quib*u* dicitur, formam habitūs, quā depic*t*i
 sunt, esse eandem, quā us*u* fuerunt.*

Num. 11. Concordat cum his **Antonius Luc-**
ci, cui ante Modestum suum Verinum R. P.
 Hierotheus aurem monet esse præbendam (est
 ego cum aliis non teneam, Venerabilem illum
 serum Dei libri toties citati verum esse Autho-
 rem,

rem, de quo postea) hic, inquam, vel alias in *Rationibus Historicis* Cap. XV. pag. 298. Sic habet: „ Quamvis autem vetustæ Fratrum Minorum effigies diversimodis videantur effigiatae, eò quod habitus Franciscanus temporibus S. Bonaventuram antevertentibus, ubique uniformis non fuerit, adeo, ut aliae cum Caputio acuto & pyramidali habitui assiso, aliae cum Caputio separato humerorum Juncturas parum in his, sat multum verò in aliis excedente conspiciantur; forma tamen etiam ante tempora Doctoris Seraphici, magis usitata, ut testantur Capucia S. Patriarchæ, quæ in Assisiatico, Fabrianensi, & Guardiæ-prælano Reliquiariis religiosè asservantur, illa fuit, quam S. Doctor Seraphicus anno 1260. & Joannes XXII. per Decretalem suam, *Quorundam Ordinis Communitali præscriperunt*: „ de qua Decretali postea Latiūs.

Num. 12. Ex his nunc dico, vel potius velenuti jam probatum infero, quod statua illa S. Francisci quæ Fundatoris in Vaticano erecta, si Observantem omni modò non exhibeat, prout Hierotheanus optaret *Modestus Verinus*; talém saltem ex Decreto Pontificio, quo ad formam & figuram habitus, repræsentare, ac exhibere omnino debeat: Unde, si hoc non obstante, in accuriori hujus repræsentatione sit defecus, rogo Modestum Verinum, ejusque Principia-

cipalem, ut illum non tam Observantium attentioni, aut Pontificio Decreto desuper emanato, quām sculptoris infelici conatui dignentur adscribere. Illa proinde, quæ R. P. Hierrotheus in *Epis. Hist.* pag. 489. contra prium meum Dialogum (qui ipsum nullatenus concernebat) quantum ad istam statuam, ex suo tam cerebro, quām oculari visu reposuit; & quæ eadem de verbo ad verbum, quasi ad Ornatum universi, ejus *Modestus Verinus* in *Discurs. Polem.* pag. 190. ad longum repetit, discretioni Lectorum relinquuntur judicanda. Interim quantumcunque benevolus Lector illa relegerit, non puto eum invenire, quod Author *Discursus* per unicam probam titulo suæ *Quæstionis XII.* satisficerit, aut aliquid circa illum fecerit: nisi quod duobus Notaminibus præmissis ad statum *Quæstionis* nihil omnino illis subjunxerit. Si quæris, quare? *Et*. Quod, omni probâ ipsi deficiente, non inconsulto omiserit assertionem; Et equidem contra me, uti voluit, debuit scribere; unde ex post meas, si non solvat, saltē adducit objectiones; quòd proinde ipsum, ne solus vagetur, paulisper adhuc sequemur.

Num. 13. Hic *Modestus Verinus* pag. 192. postquam Observantibus, Recollectis, & Reformatis ex gratia, &, ne omnem (ut ibidem addit) videatur *discretionem exuisse*, concesserat, habitum eorundem, non se toto, sive absolute...

contra

contra Regula prescriptum peccare; sed, si non Regularem, saltē Apostolicum esse; pag. seq. me erroris usque Romam accusat, consistit autem in hoc: nimirum in meo primo Dialogo (PP. Capucinos nullatenus tangente) F. Honoriū narrativè erectionem talis statuae asseruerat; *Epitome Hierothœana* assertionem illam, quoad habitum Observantinum cum ausu conjunxerat. Unde in *Dialogo continuato* pag. 161. meus F. Urbanus replicaverat: *Sanè F. Honori!* *Si Venerabilis illa statua, & quidem ex determinatione Pontificia sub habitu Observantino audeat stare in templo Dei omnium Catholicorum templorum Principe, cur non auderes & tu hanc statuēm asserere?* Ast M. Verinus meum mox (quasi lunam manibus captāisset) apprehendit, & reprehendit errorem, dum Lateranensem Basilicam docet vaticanae præferendam, tum ex prioritate inchoationis ædificii, tum ex eo, quod Beatis Petro & Paulo, illa autem Salvatori, & S. Joanni Baptista noscatur dedicata. Unde argumento, quod ego non feceram, non sīnē proprio applausu contra me verso, Ss. Franciscum, & Antonium Paduanum in templo omnium Principe, scilicet Lateranensi (saltē suo visui) stare, & comparere nobis manifestat.

Num. 14. Quantus hic mihi error, dum Jura & prærogativas binarum illarum Basilicatum minimè perscrutans, illas per modum unius sedis principalis sīnē animo dissertandi

appre-

apprehenderam. Si h̄c fortè in alicujus Judicio error sit; seductus sum ex eo, quod in Papam eligi, vulgo dicatur *Vaticanum scandere*, & quod supremæ Censuræ fulmina *Vaticana* nuncupentur. Magis fortè culpandus forem, si in minore Civitate peccans, in *Manipulo* [qui meus non est] Collegiatam Collegiatæ ex professo, atque exquisitis studiis, inter tertiorum partes excitando disturbium, præposuisset, fortè neutra Ecclesia voluisse, de ipsorum Juri bus *Manipularier* ad publicum scribi; præterim ab eo, qui jura illa non penetrâset; sicut nec ego, ob eandem causam, *Jura Lateranensis* inter & *Vaticana* judicem me collocare volui. Interim, quia *Manipulus* ille ad me non spectat, & aliunde suum Criseos *Manipulum* utrisque humeri portat, sic ego illos, humeros sicut alleviare non possum, ita amplius aggravare nolo. Evidem suum cuique pulchrum.

Num. 15. Deinde in superiori objecto me meosque non angit, quod binæ in *Lateranensi*, utique Principe Ecclesia, pictæ imagines quo ad assutum Caputium ad RR. PP. Capucinorum formam habitus proprius accedant. Hoc enim, sicut non invidemus, sic nec argumentum pro hoc negotio ponere in meo Dialogo volui, utpote in quo ne apparenter quidem pro forma habitus disputavi. Cum fundamento equidem h̄c repeto: post *Minoranorum*

Docu-

Documentorum elucidationem, in Basilica Vaticana Statuam S. Francisci, non utcunque, sed ut Ordinis Fundatoris, inter Fundatores aliorum Ordinum, in forma habitus simpliciter Observantini, prout & Observantinus Ordo solus se dicere gaudet simpliciter Ordinem *Minorum S. Francisci*, fuisse collocatam, idque ex concomitante Decreto Apostolico. Tandem, ne Ecclesia videatur esse contra Ecclesiam, & ne saxea cum pictis pugnare videantur; adjecerim hic, prout invenio, picturarum illarum in Lateranensi Basilica ætatem, modicatamque Originem,

Num. 16. Tempore quo Neapoli Conventuales inter & Capucitos lis erat satis famosa: sub qua nimirum forma habitus & Caputii, argentea statua S. Antonii Paduani in thesauro S. Januarii prædictæ Civitatis Protectoris & Patroni esset collocanda: RR. PP. Capucini opponebant binas Imagines pictas Ss. Francisci & Antonii Romæ in Basilica Lateranensi cum Capitulo existere pyramidalis, & sine Collari seu Mazzetta versus pectus. Econtra Don Nicolaus Catalanus S. Mauri composuit librum in 4to *Fiume del terrestre Paradiso* intitulatum, quem deinde Magister Julius Antonius Catalanus Fratrum Minorum Conventionalium Provinciae S. Nicolai Minister Provincialis curavit imprimi Florentiae typis Amatoris Massi anno 1652. in quo Libro à pag. 301. usque ad 318. in favorem Conven-

tualium

tualium probans adducit: qualiter, postquam **Sacro - Sancta illa Basilica** sub Clemente V. incendio fuisse devastata, in reparacione ejusdem, quæ contigit sub Joanne XXII. idque durante Schismate, quâ Ludovicus Bavarus verum Papam Joannem XXII. affligens, Petruin Corbarium Antipapam coronabat, inter alia picti operis ornamenta, binæ istæ Imagines, in forma & figura etiamnum adhuc existentes, fuerint depictæ à Fraticellorum Hæreticorum Socio, vel Fautore aliquo, qui artis in Musaico pingendi non ignarus, Pictori principali sese associans, atque quo ad modum pingendi, in odium Joannis XXII. (utpote, qui Fraticellos non ita pridem per Bullam, quæ incipit *Gloriosam* exterminaverat) Patrocinante sibi licentiâ pictoriâ agens, Sanctis illis Imaginibus appinxerit formam habitus & Caputii, quam prælaudatus Pontifex severissimè prohibuerat per Constitutionem: *Quorundam exigit, quæ habetur in Extrav. tit. 14. de verb. signif.* Idque postquam Minoritani Ordinis Factio aliqua **Narbonensium** dicta istiusmodi formam præter communem Ordinis usum (prout in ista Extravaganti legere est) sibi contra superiorum voluntatem assumperat.

Num. 17. Author *Rationum Historicarum*, Cap. 9. pag. 224. dicit Lateranenses illas Imagines opere Musivo pictas esse à quodam *Zelantium*, per quos ibide in contextu intelligit ipsos

FF. Narbonenses, quibus Joannes XXII. novitatem illam habitus severissime prohibuerat.
Arturus in Martyrologio Franciscano ad diem 3.
 Augusti, tam has, quam etiam illas, quae in *Liberiana* visuntur, dicit esse pietas cura Nicolai IV. Opificemque nominat Jacobum *Torriti*, prout in Liberianæ Apsidis Angulo dextro hoc nomen dicit esse scriptum. Ast, quantum ad tempus & Curam Nicolai IV. suprà nominatus Author *fluvii terrestris Paradisi*, contradicit, ex eo, quod forma illa, scilicet tam Narbonensem, quam istarum Imaginum, longè fuerit diversa ab ea, quam utebantur FF. Minores tempore Nicolai IV. utpote, qui (Authore remittente ad Ecclesiam S. Francisci Assisensem) rationabiliori curâ curavit fieri, & ad dictam Ecclesiam suo dono reponi Paliottam cum quatuor effigiebus Fratrum Minorum, atque inter alios S. Francisci, ex quibus nulla exhibet Caputium Pyramidale assutum, sed omnes inquit sunt sub forma tam Caputii, quam habitus Observantini, ad quam [addit] PP. Conventuales ratione Mozettæ, seu Collarii magis accedunt, quam Capucini, differuntque solum, quod Collare Caputii ultra Juncturas humerorum longius promineat in Conventualibus.

Num. 18. Alii non sine similitudine veri prætendunt, quod Pictores illi (quorum *P. Franciscus longus à Cariolano Capucinus* in suo Breviario

viario Chronologico pag. 360. principalem nominat Jacobum Turritas à Camerino) fuerint ex illis Fratribus Provinciae Marchiae Anconitanæ, qui à Ministro Generali Raymundo Gaufredi missi fuerant ad Regem Armeniæ , & postea Romanam venerunt sub Pontificatu S. Cœlestini V. à quo licentiam & facultatem impetrarunt faciendo Congregationem, quæ Pauperum Eremitarum Cœlestini Papa diceretur; & cùm ejus Pontificatus tantum fuerit quinque, aut sex Mensium, electus postea fuit Bonifacius VIII. 1295. qui in restauranda dicta tribuna Ecclesiæ Lateranensis priùs facta à Nicolao IV. ope talium usus fuisset: & ipsi, qui fortè ut Eremitæ, jam mutaverant habitus Minoritici formam, ibi representaverint Ss. Franciscum & Antonium in forma habitus, quo utebantur ipsi singulærizantes.

Num. 19. Dum interim à superiùs mentionata Lite Neapolitana Observantes abstinerent, contenti, quod in præfato Thesauro jam tum sub forma sui habitus exhibitum haberent S. Jacobum de Marchia; sententiam sacræ Congregationis contra PP. Capucinos obtinueré Conventuales. Quia tamen hi ex post spargebant, hoc Decretum valere pro omni loco, prædictosque primos Ordinis Sanctos ita ubique esse depingendos, sacra Congregatio die 21. anno 1668. decrevit: non esse extendendum, sed intelligi debere pro sola Metropoli


Neapolitana. Ex quo ità relato Doctissimus Cardinalis *Petra* de Regularibus. Dissert. 20. num. 11. infert, quodlibet Ordinis Minoritici Institutum posse Sanctos Franciscum, & Antonium Paduanum in suo respectivè habitu representare. Intellige tamen absque Inscriptione, quòd talis sit vera, & genuina habitus forma, quā Sancti illi, dum viverent, usi fuerunt, juxta prohibitionem Indicis suprà Num. 10. adductam.

Num. 20. De Cætero sicut ego non tam ex Marmorea, quæ in Vaticano est, Statua, quam ex ipso Statuam concomitante, & supra exhibito Decreto Pontificio, solvo argumenta; ita nec *Modestus Verinus* deberet Picturas illas Lateranenses, omni Decreto nudatas, adducere tanquam rem in medio positam, & ex templi prærogativa canere Victoriam, quam ego, ut ibidem inquit, *Nolens Volens* ipsi deberem concedere. Si enim & Authori libri suprà citati, & aliis de oculari visu testantibus fides sit: Pictor, qualiscunque demum sit, in Imaginibus illis Lateranensis plus posuit de sua Capricie, quam de veri imitatione. Nam S. Antonium Paduanum in juventute ad annum ætatis 36. mortuum, pinxit ad modum senis incirca septuagenarii cum barba grisea & ex mento dependente, quæ magis conveniret alteri Antonio Abbatii; Franciscum econtra anno ætatis 46. in Cælos translatum, in figura Juvenis,

nis, & quasi sine barba, prout binas Imagines ex industria in una Charta copiatas, & Româ transmissas habeo in manibus. Interim *Pictoribus atque Poëtis, quodlibet audendi semper fuit aqua potestas.* Unde etiam aliquando factum est, ut, dum in Processu super immemorabili Cultu B. Andreae de Conti pro parte PP. Conventionalium (qui hocce adhuc saeculo barbati incedebant) obmovebatur Imago in Ecclesia B. Mariae del Piglio, prefatum Dei servum cum barba repræsentans, modernus sanctissimus Benedictus XIV. dignissimum tunc agens Promotorem Fidei, statim Imagini huic opposuit alteram per vetustum Pictorem Giotti pictam, quæ Florentiae in sacristia Ecclesiae S. Crucis eundem B. Andream repræsentat in habitu Observantino, & sine barba.

Num. 21. Integræ equidem homiliæ [quam *Modestus Verinus* pag. 196. mihi facit, ac dedicat, pro eo, quod ex picturis probetur veritas, quamque probam dicit, me ubique studio subterfugere] non illubens subscriberem, si Imagines istiusmodi ubique essent sibi constantes, con- & uniformes; quales, quia non sunt, hinc *una præsumptio tollit aliam*, ex L. Divus. de in integr. Restit. & C. Litteras de præsumpt. Et sanè si Lateranenses Imagines intentum *Discursus Polemici* stabiliant, non credo, quod illa in Vaticano, post maturam cognitionem Documentorum Ordinis [uti De-

cretum meminit] erecta , destruat veritatem , quam [ut ab ulteriori tandem Litigio in hac parte me eximam] per modum depositi potius relinquam Modesto Verino integrum , quam velim , ut eadem veritas dividatur . Stamus interim ante tribunal arbitrarium benevolentum Lectorum , quo me jam secundò pertraxit ejusdem inquietudo Adversarii . Responsonem Modesti Verini , quam pag . 197. dedit ad objectionem , sicut & alias tangam in sequentibus cum Statuaria hac inquisitione conjunctis .



CAPUT SECUNDUM,

*An habitus Observantinus verè , & se
toto sit Regularis , an solùm Apostolicus ?*

Num. 1. Resolvendum inò , quòd licet doctissimus Suarez ex eo , quòd habitus non faciat Monachum , possitque tota Religio manere eadem mutato habitu , hoc sensu sustineat , habitum Religionis esse quid accidentale , aliis tamen cum *Rotario* Theol. Moral. Regular. Tom. I. Lib. 3. puncto 1. N. 7. probabilius videtur , habitum cuiuscunque Religionis pertinere ad substantiam illius , tanquam signum visibile unam Religionem ab alia discernens : quod quidem signum purè accidentale est respectu Dei , qui corda intuetur , respectu ta-

men